

Quomodo
 Quotuplex transitio duplex perfecta et imperfecta
 perfecta quae repetit illa quae dicta sunt et infero dicenda.
 Arma necessaria principi arma utilia sunt
 satis de necessitate dicta sunt videlicet quae in
 manent commoda
 imperfecta quando haec non repetit prius sed in particulis tra
 nsit ad alias partes ut etenim ad haec verum quo
 niam

Quando utriusque sensus ita connectitur cum futuro ut
 cohaereat
 Quae notanda in ea semper debent esse elegantia verba
 et clara quae quasi proponit aliquid vult dicere
 Quae dicitur in quo clari viri
 duplex est haec occulta

Quae in verbis inclusa verbis nemo mortalium uno teni
 pore omnia sapit, et vel de bono amplectendo vel de
 malo fugio
 est locutio singularis facta ex aperta
 Non est crebra ut verbis horis sapias.

Quando dicitur diversa a proposito quae tamen ad
 utilitatem sententiae
 Literatum esse ex urbe egrediendum
 est oratio quae paucis expressa verbis amplius dicitur
 Alex. Rhodrius.

est oratio quae simpliciter pre
 Bellum - horumque de facili aliis vi scelerum imbutum
 ampliatur addendo adverbium laudari jure ac merito
 potest.
 Definiendo, sicuti sceleratorum ac potissimum homi
 num manum
 probationem aureum os Cheri solumque improborum ma
 plura synonyma am

Quae
 contenta
 Quae
 Occulta
 Quae
 Amplius
 Quae

*hunc in sermo sicut
ad iuncto et frequenter*

PARVUS

CATECHISMVS,

*R. P. PETRI
Canonici Reg. J. Aug. ad J. Joem. Hal.*

CANISII

SOCIETATIS IESU
THEOLOGI.

Summa Libris Joachimi

Frederici

J. Fr.



ab Hunc.

*Ken
Rhetoris*

Com. Lib.

*Theol.
n. IX. 1157*

HILDESII

Typis JODOCI HENRICI KRAMER.

Anno M. DC. LXXIV.

9. d. 333



1500

Handwritten text at the top right, possibly a date or location.

Handwritten text in the upper middle section.



Handwritten text on the left side, below the stamp.

Handwritten text on the right side, below the stamp.

Handwritten text on the right side, below the first line.

Handwritten text on the left side, below the second line.

Handwritten text on the left side, below the third line.

Handwritten text on the right side, below the second line.

Handwritten text on the left side, below the fourth line.

Handwritten text on the right side, below the third line.

257





DE FIDE ET SYMBOLO FIDEI.

Quis dicendus est Christianus atq; Catholicus?

Qui Baptismatis Sacramento initiatus, IESU Christi, veri Dei atq; hominis salutarem doctrinam in ejus Ecclesia profitetur; neq; sectis vel opinionibus ullis ab Ecclesia Catholica alienis adheret.

Quibus de rebus primum docendi sunt Christiani?

De Fide, Spe, Charitate, Sacramentis & officijs justitiæ Christianæ.

Quid est Fides?

Donum Dei ac lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus, quæ Deus revelavit & nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive scripta illa sint, sive non sint.

Quæ summa est Fidei, seu omnium Credendorum?

Symbolum Apostolorum in duodecim distinctum articulos.

Qui sunt isti duodecim articuli?

Hi videlicet:

I.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terra.

II.

Et in Iesum Christum, filium ejus unicum, Dominum nostrum.

III.

Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

IV.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.

A 2

Des.

V.

Descendit ad Inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

VI.

Ascendit ad Cœlos, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis.

VII.

Inde venturus est judicare vivos & mortuos.

VIII.

Credo in Spiritum Sanctum.

XI.

Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.

X.

Remissionem peccatorum.

XI.

Carnis resurrectionum.

XII.

Et vitam aeternam, Amen.

Quid sibi vult primus Symboli articulus:
Credo in Deum Patrem?

Ostendit primam in Deitate personam, patrem scilicet caelestem & aeternum, cui nihil factu impossibile sit vel difficile. Qui coelum & terram visibilia simul & invisibilia cuncta ex nihilo produxit, & producta usque conservat & gubernat summâ bonitate & sapientiâ.

Quid vero Secundus articulus:

Et in Jesum Christum filium ejus?

Commonstrat secundam in Deitate personam Jesum Christum, scilicet filium Dei naturalem, unicum illum ab aeterno genitum, & patri consubstantialem, Dominum ac redemptorem nostrum, ut qui nos perditos liberavit.

Quid

CATHOLICORUM.

5

Quid porrò tertius:

Qui conceptus est de Spiritu Sancto?

Mysterium proponit Dominice incarnationis. Quia idem Dei filius de caelis descendens, humanam naturam assumpsit: sed modo singulari prorsus. Ut qui conceptus fuit sine patre, ex virtute Spiritus sancti, & natus ex Marià Virgine illibatà.

Quid verò quartus:

Passus sub Pontio Pilato?

Mysterium tractat redemptionis humane. Nam idem verus Dei filius, secundum humanam illam naturam assumptam, extrema verè passus est pro nobis, & peccatoribus omnibus redimendis. Unde licet agnus esset sine maculà, tamen sub Pontio Praside in crucem suffixus, in Cruce mortuus, & deinde sepultus fuit.

Quid autem quintus:

Descendit ad inferos?

Mysterium resurrectionis Christi complectitur, qui secundum animam quidem, patres è limbo liberaturus descendit: tertio verò post mortem die, resumpto corpore, vi proprià factus est redivivus.

Quid sextus articulus:

Ascendit ad cœlos?

Mysterium affert gloriosâ ascensionis Christi, ut qui post expletum redemptionis nostræ opus, ad patrem transiit ex hoc mundo, & cœlos sua virtute triumphator ascendit, atque in ipsâ æterni patris gloria super omnia est collocatus.

Quid Septimus:

Inde venturus est iudicare vivos & motuos?

Demonstrat extremum iudicij diem, quando Christus:

A 3

huma-

humanâ in carne visibilis, rursus de celo descendet, ac
tremendum aget iudicem omnium proborum ac impro-
borum: & reddet unicuique secundum opera eius.

Quid vero octavus:

Credo in Spiritum sanctum?

Exhibet tertiam in Trinitate personam, Spiritum
sanctum. Qui ex Patre Filioque procedens, unus, verus,
eternusq; Deus est, & regnat cum Patre & Filio: &
proinde cum utroq; simul adoratur & conglorificatur.

Quid nonus articulus:

Sanctam Ecclesiam Catholicam?

De Ecclesia docet quatuor nobis esse credenda. Primò
Ecclesiam esse Unam: nimirum in uno Spiritu Christi
Jesu, in unâ fide, fideiq; & Sacramentorum doctrina. In
uno capite ac rectore universalis Ecclesie, Vicario Chri-
sti scilicet, ac divi Petri successore. Secundo, hanc ipsam
sanctam esse. Quia tum à Christo capite & sponso, cui per
fidem & Sacramenta conjungitur, sanctificatur: tum
à Spiritu sancto perpetuò gubernatur. Tertio, eandem
esse Catholicam seu universalem, quia toto orbe diffusa
Christi fideles omnes omnium temporum comprehendit.
Quarto & postremo, in hac ipsâ Ecclesiâ communionem
esse Sanctorum: puta non eorum solùm, qui in terris cre-
dentes peregrinantur, verùm etiam, qui carnis mortali-
tate exuti, vel regnant in cœlo, vel illic regnaturi, in igne
purgatorio, suorum peccatorum sordibus expiantur.
Qui quidem, veluti unius corporis membra se invicem
juvant mutuis officiis, meritis, orationibus, & sacrosan-
ctis Missæ sacrificijs, Sacramentorumq; Ecclesie virtute
participant.

Quid

CATHOLICORUM.

Quid porrò decimus:

Remissionem peccatorum?

Offert presentem Dei gratiam peccatoribus omnibus, ne quis de venià peccatorum suorum consequendâ unquã desperet, modo in Ecclesiâ perseveret Catholicâ, & rite ejusdem Sacramentis utatur.

Quid autem undecimus:

Carnis resurrectionem?

Mortuos omnes ad vitam excitandos asserit, & novissimũ judicij diem confirmat. Nam ante Christi tribunal, in carne redivivi omnes apparebimus, ut recipiat unusquisque, pro ut gessit in suo corpore, sive bonum sive malum.

Quid demum postremus:

Et vitam æternam?

Fidei & virtutis Christianæ premium, beatam immortalitatem ostendit, ut certò sciamus, post hanc vitam superesse aliam longè diversam, verèque securam, beatã ac sempiternam, quæ credentibus & obtemperantibus Christo destinata sit.

Quæ est summa omnium Symboli articulorum?

Corde & ore confiteor Dominum Deum, quo nihil aut majus, aut sapientius, aut melius potest excogitari. Eum & unum in essentiâ, seu naturâ divinâ: & trinum in personis esse. Vtpote Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: Ita ut hi tres unum sint, unus verus, æternus, immensus & incomprehensibilis Deus. Ex quo, per quem, & in quo sunt omnia. Pater est conditor universorum: Filius Redemptor hominum: Spiritus sanctus Ecclesiæ, seu Christi fidelium sanctificator & rector. Igitur huic sanctissimæ & individue Trinitati respondent Symboli tres partes
braci-

præcipua: Prima quæ de creatione est, Patri: Secunda, quæ de redemptione, Filio: Tertia quæ de sanctificatione, Spiritui Sancto accommodatur.

Quid est Ecclesia?

Est omnium Christi fidem atque doctrinam profitentium congregatio, quæ sub uno & summo post Christum capite & pastore in terris gubernatur.

Qui ab Ecclesiâ prorsus alieni sunt?

Primum: Judæi & infideles omnes, atque à fide Apostata. Deinde heretici, id est scilicet, qui cum baptizati sint, contra Catholicam fidem cum pertinaciâ tuentur errorem. Præterea schismatici, qui à pace & unitate Catholica ipsi se segregant.

Postremo qui à communione Sanctorum, à participatione Sacramentorum & ab Ecclesiæ suffragiis, divinisque officiis per Ecclesiasticam potestatem legitime excluduntur: unde & excommunicati dicuntur. Qui omnes à Christi corpore, quod est Ecclesia, sejuncti & alieni sunt. Proindeque spiritualis vitæ ac salutis expertes, manent, Sathanae, mortisque perpetuæ, nisi resipiscant, obnoxij. Ac vitandi quidem illi omnes Catholicis: sed imprimis heretici & Schismatici, non minus quam pestis quædam exitialis, fugiendi ac execrandi sunt.

Quæ demum est simplex, brevis & recta fidei regula, quâ Catholici ab hæreticis discernuntur?

Ea est, Christi fidem atque Ecclesiæ auctoritatem integram profiteri, illudque ratum ac fixum tenere oportere, quod Ecclesiæ Catholicæ pastores atque Doctores credendum definierint. Ceterum si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi, inquit Christus ipse, sicut Ethnicus & Publicanus: Non enim habebit Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.

CA.

CAPUT II.

DE SPE ET ORATIONE DOMINICA.

Quid est Spes?

Virtus est divinitus infusa, per quam certâ cum fiducia nostra salutis & aeternae vitae bona exspectantur.

Unde modum recte sperandi & petendi discimus?

Ex oratione Dominicâ, quam Christus ipse Dominus & Magister noster ore suo sancto tradidit & prescripsit.

Recita per partes Orationem Dominicam.

Prima Petitio.

Pater noster, qui es in caelis: sanctificetur nomen tuum.

Secunda.

Adveniat regnum tuum.

Tertia.

Fiat voluntas tua, sicut in caelo & in terrâ.

Quarta.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Quinta.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Sexta.

Et ne nos inducas in tentationem.

Septima.

Sed libera nos à malo, Amen.

Quid sibi vult initium hujus orationis?

Pater noster qui es in caelis?

Præfatiuncula est, quæ nos memores reddit summi beneficij, quo Deus Pater per Christum nos sibi in filios adoptivos & hæredes cooptavit, Atque hoc dulci patris nomine provocamur, cum ad eum redamandum, tum ad precandum magnâ cum fiducia.

Quid

Quid explicat prima petitio:

Sanctificetur nomen tuum?

Proborum filiorum justum & liberale desiderium. Hi petunt semper & ubique, in se alijsq; promoveri cognitionem, timorem, honorem, amorem & cultum eterna Majestatis, & quicquid demum ad summi optimique patris gloriam spectat.

Quid secunda petitione agimus:

Adveniat regnum tuum?

Petimus gloriam regni caelestis, eterneque felicitatis nobis donari, ut cito cum Christo in sempiternū regnemus.

Quid Tertia:

Fiat voluntas tua?

Petimus divinae gratiae nobis operam adesse, ut Patris Voluntatem in terrā, sicut beati omnes in caelo faciunt, sincerè, alacriter & constanter adimpleamus.

Quid quarta:

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?

Petimus suppeditari nobis, quae ad vitam, sive corporis sive animae fovendam & sustinendam spectant: ut victum & vestitum, verbum Dei, & Ecclesiae Sacramenta.

Quid quinta:

Et dimitte nobis debita nostra?

Petimus veniam ac remissionem peccatorum, paratè vicissim remittere, quod in nos alij peccaverint.

Quid penultima:

Et ne nos inducas in tentationem?

Petimus in hac tantā vitae imbecillitate, divinā virtute fulciri atque adversus Mundum, carnem, Demoneq; defendi, ne quocunque modo tentationi succumbentes, peccato consentiamus.

Quid

Quid septimâ & postremâ petitione:
Sed libera nos à malo?

Petimus Dei benignitatem, quâ ipse nos liberet & vindicet à miseria tum corporis, tum animæ: sive in hac vitâ, quoad salutem nostram congruit, sive in futuro. Et additur, Amen. Hoc est fiat sive fiet. Ut spem desideriumque monstremus, accipiendi ea, quæ septem his petitionibus continentur.

Quæ summa est priorum orationis hujus
petitionum?

Priores quatuor ostendunt, quæ hic bona sperare ac petere debeamus. Inter quæ primum ac summum est, divine Majestatis honor & gloria. Proximum nostra felicitas. Huic accedit Deo debita obedientia. Postremum est corporis animæque sustentatio necessaria. Hæc summam continentur prioribus quatuor.

Quæ summa est reliquarum petitionum?

Tres posteriores continent mala, quæ deprecari debeamus. Ut sunt peccata, quæ nobis Dei regnum præcludunt: tum tentationes, quæ nisi ope divina protegatur, sua via ad peccandum nos pertrahunt: ac postremo hujus ac future vite calamitates. Docet igitur Dominica precatio simul & bona petere, & mala deprecari.

Quomodo salutationem Angelicam recitas
Virgini Matri?

Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus: & benedictus fructus ventris tuæ Jesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in horâ mortis nostræ, Amen.

Vnde

Vnde hic modus Deiparam Virginem salutandi profluxit?

Primum: ab exemplo angeli Gabrielis, & sanctæ Elizabethæ, deinde ex usu ipso & consensu Ecclesiæ Catholicæ.

Quem verò fructum adfert hæc salutatio?

Sacro sanctæ Virginis & dominicæ incarnationis gratiam, & aquè salutarem nobis refricat memoriam: ac præterea monet, ut gratiosæ Virginis favorem, atque apud Deum intercessionem nobis conciliemus.

Quid discimus ex hac salutatione?

Eximias dotes ac laudes incomparabilis Virginis. Ut quod Dei donis ac virtutibus amplissimis referta: quod eadem virgo & mater: quod inter omnes omnium temporum mulieres benedicta: quod Regis Regum Christi Dei ac Domini nostri parens: ac proinde inventrix gratiæ, ac genitrix vitæ nobis extitit.

CAPVT. III.

DE CHARITATE ET DECALOGO.

Quid est Charitas?

Infusa à Deo virtus, quæ Deus propter se diligitur, proximus autem propter Deum.

Quot sunt charitatis præcepta?

Duo principalia: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ, & ex totis viribus tuis. Hoc est primum & maximum mandatum. Secundum verò simile huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus præceptis universa lex pendet & Propheta.

Quo indicio se prodit Charitas erga Deum?

Si ejus observes mandata. Hæc est enim charitas Dei,

ut

ut mandata ejus custodiamus. Et mandata ejus gravia non sunt. Et Christus ipse docet: Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.

Quomodo se prodit & agnoscitur charitas erga proximum?

Charitas patiens est, benigna est: Charitas non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa non querit: quæ sua non sunt. Non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat omnia sustinet.

Cur præcepta Decalogi decem proponuntur?

Etsi duo sint charitatis præcepta, in quibus plenitudo legis versatur, tamen præcepta Decalogi idcirco adiunguntur, ut perspicuè magis omnes intelligant, quæ ad charitatem tum Deo, tum proximo exhibendam pertinent.

Quæ sunt præcepta Decalogi?

I.

Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me: non facies tibi sculptile ut adores illud.

II.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

III.

Memento ut diem Sabbathi sanctifices.

IV.

Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

V.

Non occides.

Non

VI.

Non mœchaberis.

VII.

Non furium facies.

VIII.

*Non loquēris contra proximum tuum falsum testi-
monium.*

IX.

Non concupisces uxorem proximi tui.

X.

*Non domum, non agrum, non servum, non ancil-
lam, non bovem, non asinum: & universa, qua illius sunt.***Quid sibi vult primum præceptum:****Non habebis Deos alienos?***Prohibet ac damnat idololatriam, seu cultum falso-
rum Deorum, artem magicam, vel divinatoriam, ob-
servationes, superstitiones, omnem denique cultum impi-
um. E diverso autem requirit, ut unum Deum Optimū
maximū credamus, colamus, & invocemus.***Licet ne Sanctos colere & invocare?***Licet: non ad eum quidem modum, quo jubemur
Deum colere & invocare, tanquam creatorem & largi-
torem bonorum omnium. At longè inferiore gradu: ni-
mirum veluti dilectissimos Dei amicos, nostrosq; apud
ipsum intercessores & Patronos.***Huicne præcepto adversatur usus imaginum
Christi ac Sanctorum?***Nequaquam. Quia præcepto huic; non facies tibi scul-
ptile, causa mox additur, ut adores illud. Videlicet Eth-
nicorum more, qui falsorum Deorum statuunt simula-
chra, & idola sua impie colunt. Nos autem in imagi-
nibus*

inibus Christum & Sanctos, quos representant, pio à majoribus tradito more, veneramur.

Quid secundum prohibet:

Non assumes nomen Dei tui in vanum?

Vetat abusum divini nominis & irreverentiam, quæ committitur à perjuris, blasphemis, per Deum, Sanctos vel creaturam aliquam, absque gravi causa, veritate ac reverentiâ jurantibus.

Quid imperat tertium præceptum:

Memento ut diem Sabbathi sanctifices?

Vult Sabbathum, seu diem festum in Ecclesia pijs operibus celebrari. Quod fit adeundo templum & audiendo missam: laborare autem hoc tempore & occupationibus deditum esse servilibus planè interdicit.

Quid injungit quartum:

Honora Patrem ac matrem?

Ut his, qui secundum Deum, vita nostra sunt auctores, reverentiam, obedientiam, opemque præstemus, ac omni demum officij genere, illis ipsis satisfaciamus. Deinde jubet, ut Magistratus, cum civiles, tum Ecclesiasticos parentum & majorum loco habeamus: illorum dictis lubentes pareamus, & revereamur potestatem atque auctoritatem.

Qua ratione potestatem & auctoritatem

Ecclesiasticam reverebimur?

Videlicet: si sacris & œcumenicis concilijs, si receptis Apostolorum, ac patrum institutis ac decretis, si probatis majorum consuetudinibus, denique si summis Ecclesie Pastoribus ac Pontificibus tribuerimus, quam singularem illis debemus, observantiam obedientiamque. Vbi
vel

vel maxime peccant, qui cultum divinum & sanctiones, ceremoniasq; Ecclesiasticas convellunt atque contem-
nunt: tum qui Synodis & Pontificibus obtrectant, ac in
Sacerdotum jura & templa insolant, sacra prophanantes.

Quid sibi vult quintum præceptum:

Non occides?

Prohibet vim externam, cadem, & injuriam omnem,
que corpori & vitæ proximi adferri possit. Ad hæc iram,
odium, rancorem, indignationem, & quosvis affectus,
ad proximi lesionem quovis modo spectantes excludit &
penitus resecat.

Quid vetat sextum:

Non inoehaberis?

Fornicationem, adulterium, & obscænos, illegitimosq;
concubitus: tum quidquid honestati, verecundia, & in-
genue pudori adversatur. Nam & qui viderit mulie-
rem ad concupiscendam eam, jam inoehatus est eam in
corde suo.

Quid præcepto septimo cavetur:

Non furtum facies?

Omnis rei aliena illicita contrectatio & usurpatio: ut
fit in furto, rapinâ, usurâ, lucris injustis, dolis malis, &
iniquis contractibus. Demum quibusvis commutatio-
nibus & distributionibus, quibus Christiana charitas
læditur, & proximus circumvenitur.

Quid in octavo agitur:

Non loqueris contra proximum tuum falsum
testimonium?

Interdicitur testimonium falsum, mendacium, per-
jurium & omnis lingua contra proximum abusus. Ut est
in susurronibus, detractoribus, maledicis, adulatoribus,
mendacibus ac perjuris.

Quid

Quid postremo duo præcepta:

Non concupisces uxorem, nec rem proximi?

Vetant concupiscentiam uxoris ac rei alienæ: quoniam quod alienum est, haud solum injuste & pro libidine nostra occupare non licet: sed ne voluntate quidem ad illud appetendum ferri debemus: ita ut nostris rebus contenti absque omni invidia, amulatione & cupiditate vivamus.

Quæ summa, quisque finis Præceptorum Decalogi?

Nimirum, ut Deus & proximus sincere diligantur: cujus rei symbolum fuit in duas tabulas Decalogi à Deo facta distinctio: in priore quidem tabula tria docentur quæ ad charitatem Dei: in secunda vero septem quæ ad dilectionem proximi spectant, explicantur.

Qua ratione præcepta primæ tabulæ charitatem edocent?

Quoniam tollunt & prohibent vitia, cultui honorique Dei maxime contraria, idololatriam, apostasiam, hæresin, perjurium, superstitionem: admonent autem verum purumque Dei cultum corde, ore, ac opere fideliter exhibendum esse: quod ubi fit, utique solus Deus cultu latriæ colitur & adoratur.

Quomodo præcepta secundæ tabulæ charitatem proximi explicant?

Eo ipso quod nostrum erga proximum officium ordine complectuntur; videlicet, ut non solum Majores honoremus, sed etiam opere, verbis ac voluntate prodesse omnibus & nocere nemini studeamus, sive corpus proximi, sive persona juncta conjugio, sive bona fortune considerentur.

B

Quæ

Quæ summa est præceptorum de proximo diligendo?

Hæc ipsa nimirum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: omnia vero quæcunque vultis ut faciant vobis homines & vos facite illis. Hæc est enim lex & Prophetæ.

Suntne præter Decalogum alia Præcepta?

Sunt utique; nec solum utiliter illa, verum etiam necessario observanda: Præsertim Ecclesiæ præcepta, cui veluti sanctissimæ matri sponseque Christi aures & mentes præbere Catholici filij omnes debemus.

Quot sunt Præcepta Ecclesiæ?

Præcipua quinque numerantur.

I.

Statutos Ecclesiæ festos dies celebrato.

II.

Sacrum Missæ officiû diebus festis reverenter audito.

III.

Indicta certis diebus jejunia, & à quibusdam cibis abstinentiam observato.

IV.

Peccata tua Sacerdoti proprio, aut alteri cum ejus facultate, singulis annis confitetur.

V.

Sacrosanctam Eucharistiam, ut minimum semel in anno, idque circa festum Pasche sumito.

Quem fructum affert horum observatio præceptorum?

Hæc atque id genus alia Ecclesiæ tum instituta, tum præcepta primum fidem, humilitatem & obedientiam Christianam ^{excitant} mercent: deinde cultum divinum, honestam disciplinam & publicam tranquillitatem alunt, conser-

vant

vant & ornant, eoque mirificè conferunt, ut decenter & ordine cuncta in Ecclesia peragantur; præterquam quod æternam vitam meremur, si illa ex charitate observe-
mus.

CAPVT. IV
DE SACRAMENTIS.

Quid est Sacramentum?

Est invisibilis gratiæ signum visibile, ad nostram sanctificationem divinitus institutum; aliud est enim quod in Sacramento videmus, aliud quod in eo accipimus: signum videmus externum, occultam vero & spirituale gratiam, quæ res dicitur Sacramenti accipimus.

Quot sunt Sacramenta?

Septem, quæ à Christo Domino instituta, ab Apostolis tradita, & in Ecclesia Catholica semper conservata, ad nos usque pervenerunt. Sunt autem hæc Baptismus, Confirmatio Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo Matrimonium.

Quare Sacramenta veneranda, & summo in pretio habenda sunt?

Primum quidem, quia à Deo & Christo Domino in lege nova instituta: deinde quia gratiam Dei nobis necessariam, eamque uberrimam non modo significant, verum etiam seu vasa quedam sacra divini spiritus continent & ritè susipientibus conferunt: ad hæc quoniam adversus peccatum presentissima sunt remedia seu divina medicamenta nostri Samaritani: postremo, quia bonis gratiam habentibus, eam ipsam conservant, augent & amplificant.

Cur Sacramentis ceremoniæ solennes &
Ecclesiasticæ adhibentur?

Multis profecto & gravibus de causis: primum, ut Sacramentorum administrationem spectantes admoneantur, nihil hic prophanum, sed arcana quadam & divinis plena Mysterijs geri, quæ singularem reverentiam exigant. Deinde, ut ad Sacramenta ipsa accedentibus, cultum promoveant interiorum, quem Deus precipue postulat, & cujus veluti signa, testimonia & exercitia sint ceremoniæ. Præterea ut Sacramenta administrantes, majore cum dignitate & fructu munus suum obeant, dum veteris Ecclesiæ institutis, sanctorumque Patrum vestigiis fideliter inherent. Constant enim hujusmodi ceremonias plerasque inde à temporibus Apostolorum, per continuam successionem ad nos usq; in Ecclesiâ perseverasse. His demum retinetur honesta religiosaque disciplina, his fovetur publica tranquillitas, quæ sæperituum externorum aut immutatione aut innovatione graviter interturbatur.

Quid est Baptismus?

Primum maximequæ necessarium legis novæ Sacramentum, quod semel in aqua confertur quo spiritaliter renascimur, & peccatorum plena remissione percepta, in filios Dei adoptamur heredesque vite cœlestis adscribimur.

Quid est Confirmatio?

Est baptizatis collatum ab Episcopo Sacramentum, in quo per sanctum Chrisma & verba sacrosancta confertur gratia, & robur Spiritus additur tum ad firmiter credendum, tum ad nomen Domini quando sic est opus, libere confitendum.

Quot

Quot sunt præcipua de Eucharistiæ doctrina
capita scitu necessaria?

Quinque: Primum est ejus veritas. Alterum panis & vini in Christi corpus & sanguinem conversio. Tertium adoratio debita. Quartum ejus oblatio. Quintum & postremum ejusdem Sacramenti sumptio.

Quæ est veritas Sacramenti Eucharistiæ?

Nimirum hæc: Christum verum Deum ac hominem verè ac integrè in hoc Sacramento contineri & nobis adesse, ubi Sacerdos ritè ordinatus, panem & vinum verbis illis arcanis & à Christo traditis consecravit.

Quæ fit conversio per verba illa quibus hoc
Sacramentum Sacerdos consecrat?

Ea, ut per ipsa verba operante Christo panis & vinum in corpus & sanguinem Dominicum convertantur ac transsubstantientur, atque ita panis & vinum esse designat in Eucharistia.

Quæ Sacramento huic debetur Adoratio?

Eadem sane quæ Christo Domino ac æterno Deo debetur quippe quem illic presentem agnoscimus: Ideoque religioso tum corporis tum animi cultu ut par est, hoc Sacramentum supplices veneramur.

Quare censetur hoc Sacramentum oblatio?

Quia est legis novæ Sacrificium & oblatio munda, cruentis legis Judaicæ sacrificijs incruenta succedens, quæ pro vivis ac defunctis Christi fidelibus in missa offertur ac celebratur. Unde fit ut Eucharistia non solum à fidei populo sumatur, sed etiam pro peccatis à Sacerdotibus ad dominicam passionis ac mortis continuam commemorationem quotidie immoletur, semperque oblata fuerit in Ecclesiâ Dei.

Quid in Sacramenti hujus sumptione servandum?

Quod fides & auctoritas sanctae matris Ecclesiae docet, videlicet, Christiano laico sat esse sub una specie panis totum Christum accipere: & ex hac sumptione consequi, ut qui non indignè accesserit, ingentem Dei gratiam, ac aeternam quoque vitam obtineat, qui verus ac integer Sacramenti hujus fructus existit: eoq; sit efficacior, quo saepius sacra & salutaris illa communio dignè iteratur.

Quid est Pœnitentia?

Est secunda post naufragium tabula & necessarium relapsis Sacramentum, in quo remissio peccatorum & à reis petitur, & à Sacerdotibus tribuitur.

Quot sunt partes & actiones Pœnitentiæ?

Tres, contritio, vel dolor animi peccata sua detestantis, & ad vitam meliorem adspirantis. Confessio seu peccatorum suorum coram Sacerdote facta explicatio: & satisfactio, denique seu vindicta punitioq; criminum de se ipso sumpta ad prestandos fructus dignos pœnitentiæ.

Quid est extrema Unctio?

Est Sacramentum, quo aegroti per oleum sacrum, & verba Christi in magnis morbi molestiis relevantur, ut feliciter ex hoc mundo demigrent, & corpora etiam, si ita expedit, sanitati restituantur.

Quid est Ordo?

Est Sacramentum, quo Sacerdotibus alijsque ministris Ecclesiae potestas confertur ad Ecclesiastica munia rite decenterque obeunda.

Quid postremò est Matrimonium?

Est Sacramentum, quo vir & mulier legitime contrahentes, individuanam vitae societatem ineunt, gratiaq; divina donantur, tum ut soboles honestè & christianè suscipiantur.

scipiatur ac educetur : tum ut foeda libidinis & incontinentia peccatum evitetur.

Estne inter Sacramenta discrimen?

Est sane : Baptismus enim, confirmatio & Ordo semel collata nunquam iterantur sicuti cetera. Item Baptismus necessario suscipitur ab omnibus, Eucharistia à ratione utentibus, & à relapsis pœnitentia. Arbitrarium est autem uti reliquis, modo nullum contempnas, aut cum illud sumendi tempus est, negligas.

CAPVT V.

DE OFFICIIS JUSTITIÆ
CHRISTIANÆ.

Quot sunt Officia Justitiæ Christianæ?

Hæc duo : declina à malo sive peccato, & fac bonum, sive officium Justitiæ.

Qui potest homo cavere peccatum & bonum facere, seu præstare Justitiam?

Non id per se quidem, sed Christi gratia ac spiritu instructus Christianus potest ac debet, quantum hujus quidem vite status admittit, justè vivere & legem implere.

Quotuplex est peccatum?

Duplex : Originale & Actuale.

Quid est Originale?

Quod ab ortu nobis congenitum, per Baptismum in Christo condonatur.

Quid est Actuale?

Dictum, factum vel concupitum contra vel præter legem Dei aut Ecclesiæ.

Quotuplex est Actuale?

Duplex: mortale, sic dictum, quia mortem animæ præsentem adfert: Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur, & veniale, ut cui venia facile tribuitur & sine quo ne fusti quidem vivunt.

Quibus gradibus ad peccatum deducimur?

His tribus: Suggestione, delectatione, consensu seu deliberata voluntate peccandi.

Qui sunt supremi gradus peccantium?

Eorum, qui scientes ac prudentes ex mera peccant malitia, qui etiam de peccato ipso gloriantur, & qui bene monentibus obstrepunt, ac salutaria consilia prorsus contemnunt.

Quare peccatum fugiendum?

Quia Dominum Deum offendit, summum bonum eripit, & summum affert malum peccanti, dum divinam tollit fruitionem nunquam recuperandam, & poenas ærumnasque homini accersit sempiternas.

Quæ dicuntur peccata capitalia?

Illæ, ex quibus veluti capitibus & fontibus omnia alia peccata proficiscuntur.

Quot sunt peccata capitalia?

Septem: Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Acedia.

Qua ratione vitati & vinci hæc peccata possunt?

Si Jesu Christi gratia cooperemur, & peccatorum damna & pericula considerantes, & virtutes septem his peccatis contrarias exercentes.

Quæ

Quæ virtutes peccatis capitalibus
adversantur?

*Hæ septem: Humilitas, Largitas, Castitas, Benig-
nitas, Temperantia, Patientia, Devotio seu sedula
pietas.*

Quæ peccata in Spiritum sanctum
committi dicuntur?

*Ea quæ sua malitia sic divinam excludunt gratiam,
ut neque in hoc seculo, nisi agrè admodum, neque in
futuro remittantur.*

Quot sunt peccata in Spiritum Sanctum?

*Sex: Presumptio de misericordia Dei, vel de impunitate
peccati, Desperatio, Agnitæ veritatis impugnatio, Fra-
terna charitatis invidentia, Obstinatio & impœnitentia.*

Quæ peccata in cœlum clamare dicuntur?

*Quæ per se vehementer abominanda sunt & apertè
humana charitatis jura violant, unde vindictam cla-
mare perhibentur, & horrendis sepe modis in hac vita
divinitus vindicantur.*

Quot sunt peccata in cœlum clamantia?

*Hæc quatuor: Homicidium voluntarium, pecca-
tum Sodomiticum, oppressio pauperum, viduarum
atque pupillorum: demum merces operariorum de-
fraudata.*

Quæ peccata dicuntur aliena?

*Ea quæ ab alijs quidem committuntur, sed nobis
interim auctoribus, vel quoque modo adjutoribus,
aut saltem non impredientibus, ut idcirco nobis etiam
imputentur.*

Quot

Quot modis aliena peccata nobis
imputantur?

*Novem his modis: Consilio, jussione, consensu, ir-
ritatione, laudatione seu adulatione, reticentiâ culpæ
alienæ, conniventia vel indulgentiâ, rei alienæ parti-
cipatione, & pravâ facti alieni defensione.*

Quæ dicuntur opera carnis?

*Ea quæ homines secundum carnem viventes & à Dei
filijs spiritualibus degenerantes committere solent.*

Quæ sunt opera carnis?

*Paulus ea recenset in hunc modum: manifesta sunt
opera carnis, quæ sunt: Fornicatio, Immunditia, Im-
pudicitia, Luxuria, Idolorum servitus, Veneficia,
Inimicitia, Contentiones, Emulationes, Iræ, rixæ,
Dissensiones, Sectæ, Invidia, Homicidia, Ebrietates,
Commessationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut
prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non
consequentur.*

Estne satis Christiano malum fugere, &
à peccato declinare?

*Nequaquam, sed præterea bonum agere, & virtu-
tes exercere necesse est, alioqui scienti bonum & non fa-
cienti peccatum est illi.*

Quid boni faciendum est Christiano?

*In genere quidem quidquid boni lex naturalis, divi-
na vel humana præcipit vel ostendit: in specie vero, pro
sua quisque vocatione præstare officium, & accepta Dei
gratia cooperari cum gratiarum actione debet: Omnis
enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur
& in ignem mittetur.*

Quæ

Quæ sunt præcipua bonorum

Operum genera?

*Ea, quibus sobriè, justè, pieque vivitur in hoc se-
culo, & per quæ itidem justè magis magisque justifi-
cantur, & sancti indies sanctificantur.*

Quotuplicia sunt hæc Operum

bonorum genera?

*Triplicia: utpote Jejunium, Eleemosina seu mi-
sericordia & Oratio: de quibus ita legimus: Bona est
Oratio cum Jejunio, & Eleemosina.*

Quis est Fructus Bonorum Operum?

*Habent ea promissionem ac mercedem huius ac æ-
ternæ vitæ; Deum placant, gratiam conservant &
augent. Denique Christiani hominis vocationem cer-
tam faciunt, atque consummant.*

Quid est Jejunium?

*Est certis diebus, juxta morem & præscriptum
Ecclesie carnibus abstinere. & saltem unica cibi refe-
ctione in die contentum vivere frugalius. Sed si gene-
ratim hoc nomen accipias, Jejunium est corporis qua-
dam castigatio piè suscepta, ut vel caro Spiritui sub-
jiciatur, vel obedientia exerceatur, vel Dei gratia
impetretur.*

Quid est Oratio?

*Est mentis in Deum Elevatio, per quam vel ma-
la deprecamur, vel bona nobis aliisve petimus vel Deo
benedicimus.*

Quid est Eleemosina seu Misericordia?

*Est beneficium quo alterius miseria ex commiserati-
onis affectu subvenimus.*

Quotu-

Quotuplex genus est Eleemosinæ seu
Misericordiæ?

Duplex: Alia quippe sunt opera misericordiæ corporalia, alia vero spiritualia: quoniam vel ad corporalem vel ad spiritualem miseriam proximi sublevandam spectant.

Quot sunt opera misericordiæ corporalia?

Septem: Esurientes pascere, potum dare sitientibus, operire nudos, captivos redimere, ægrotos invisere, hospitio peregrinos suscipere, mortuos sepelire.

Quot sunt opera Misericordiæ spiritualia?

Sunt & ipsa septem, ut: peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè consulere, pro salute proximi Deum orare, consolari mæstos, ferre patienter injurias, offensam remittere.

Quæ sunt virtutes omnium præcipuæ?

Post Theologicas quidem illas de quibus dictum est, Fidem, & Spem & Charitatem, præcipuæ sunt Cardinales, quæ Christianos cum primis decent.

Quæ dicuntur virtutes Cardinales?

Quæ tanquam fontes aliarum & cardines, omnem honestæ vitæ rationem continent.

Quot sunt virtutes Cardinales?

Quatuor: Prudentia, Justitia, Temperantia, Fortitudo, quibus in Christo consequitur homo, ut providè justè, temperatè ac fortiter in omni vitæ degat ac placeat Deo.

Quæ

Quæ dicuntur dona Spiritus sancti?

Septem illa quæ super Christum requievissent Prophe-
ta testatur, & ab ipso, seu fonte omnis gratiæ in alios de-
rivantur: ut donum sapientiæ, donum intellectus, con-
siliij, scientiæ, fortitudinis, pietatis ac timoris Domini.

Quænam illa quæ fructus Spiritus
vocantur?

Ea quæ p̄i secundum Spiritum viventes operantur, &
per quæ spiritalia à carnalibus dignoscuntur.

Quot sunt fructus Spiritus?

A Paulo Apostolo sic numerantur: Caritas, Gau-
dium, Pax, Patientia, Longanimitas, Bonitas, Benig-
nitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia,
Castitas.

Quæ dicuntur beatitudines Evangelicæ?

Ille, propter quas in Evangelio etiam hi qui miseri
prorsus ac infelices videntur, Beati ac felices pronun-
ciantur.

Quot sunt Evangelicæ beatitudines?

Octo quas ita Christus in monte tradidit.

I.

Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est reg-
num cælorum.

II.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

III.

Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur.

IV.

Beati qui esuriunt & sitiunt Justitiam, quoniam ipsi
saturabuntur.

V. Bea-

V.

Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.

VI.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

VII.

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

VIII.

Beati qui persecutionem patiuntur propter Justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Quæ dicuntur Evangelica consilia?

Videlicet, quæ per Evangelium non tanquam ad salutem necessaria, sed veluti suscipientibus magis expedita atque utilia à Christo non precipiente quidem, sed consulente proponuntur.

Quot sunt Evangelica consilia?

Principalia tria sunt, nimirum: Paupertas voluntaria, castitas perpetua, & obedientia integra, quæ propter Deum homini religiose exhibetur.

Quæ hominis novissima dicuntur?

Ea quæ homini ad extremum accidunt, ut Mors, Judicium, Infernus & cœlestis gloria de quibus in doctet Sapiens: in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.

F I N I S.

am

nt.

ti-

ad

x-

ced

na


na

5,

10-

32-





A A A A A A A A A A
 A A A A A A A A A A
 volo vituperare maledictos
 Adornatus habet maledictos panegyrice
 Sicut de arboribus bonum est aliquid in fructu infeliciter felicitas sit genitrix
 licet non sit. Sic de regibus fuisse avarum, divitem mendicem.
 Si prolixus periculosus nominum est miserum nisi quia velis, Cetera optima
 sedam. Propositiones possunt esse Metaph. ancul. doctos. pro via vobis
 aquila qua lineae oculis ipsa. Invenitatem attingit et supra humani
 nitenti belluorum accedens ferubata. Cetera avarum ad nos et cha
 rit.

Quia quae sit definitiva alia. Definitiva
 Conjectura: an aliquid sit factum.
 Definitiva an pater patria (Im. H. H. H.)


Crinomenon est ad quod orator maxime attendit an. Cetera in
 sub. causa, nemo filii patri occidit nisi propter causam.
 Rosas est filii ergo

Caelig. est infirmitas utraque est planda
 est via causa quam regis fecit ut amoverat se sepe. Cetera
 criminis.

Est ratio quae dicitur ad ref.
 Inde oritur iudicatio.
 Quando lex scripta habet viam
 discrepant a voluntate per
 et res de re qualibet discrepant a voluntate


Quando quod colantur multae causa. nunquam facis quod
 pe nitent.
 pro sitis multis effectis anto nig multa d'ana ficut multa mala
 ferit
 quando non unum multae similitudines si vitia cum parva sunt
 non corriguntur saeva sunt. Cetera in quibus morbi
 ignis febris fieri non nisi.
 Quando aliorum multa exempla. Audiog debet de ventis
 Audere





A
10





B.I.G.

Farbkarte #13

*hunc in forma sive
adjuvato et frequentia*

PARVUS
CATECHISMVS,

R. P. PETRI
Canonici Reg. S. Aug. ad S. Jem. Ital. Beghary

CANISII

SOCIETATIS IESU
THEOLOGI,

Invenit Libris Joachimi

Frederici
J. Fr.
*ab Hincoc-
ken
Rhetoris*



Comstat
Theol.
n. IX. 1157
HILDESII

Typis JODOGI HENRICI KRAMER.

Anno M. DC. LXXIV.

9. d. 333

